12

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO ET LONGO.

Viro admodum Docto ac Lit

Jacobo Sims M.D

Ingenio et Scientiâ

Nulli Secundo

Hanc Dissertatiunculam

omni obsequio

Offert

Sibi Devinctissim

Joannes Norr

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO ET LONGO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

ADRIANI KLUIT,

ANTIQUITATUM, ET HISTORIAE, IMPRIMIS DIPLOMATICAE, FEDERATI BELGII PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Previlegiis rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

JOANNES NORRIS,

HIBERNUS.

Soc. Phyſ. Chir. Edin. Soc. Hon.

Ad diem X. *Decembris* MDCCLXXXIII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD FRATRES MURRAY,

MDCCLXXXIII.

Longis morbis ſenectus, Acutis adoleſcentia magis patet.

CELSUS DE RE MEDICA.

VIRO HONORATISSIMO

A. R. M. O. R.

DOMINO DE BELMORE, BARONI,

ETC. ETC. ETC.

CUJUS MAGNAS ANIMI DOTES,
SUMMA VIRTUS,

ET TAM PUBLICA QUAM PRIVATA
OFFICIA,

HUJUS ET OMNIUM DEINCEPS
SECULORUM,

LAUDEM ET ADMIRATIONEM
MERENTUR.

NEC

NEC NON

EGREGIO CELSISSIMOQUE VIRO,

JACOBO ALEXANDRO,

ARMIGERO.

A CALEDON - HILL,

IN AGRO TYRONIENSI;

VOLONUM AUCHNACLOIENSIUM
COHORTIS TRIBUNO;

PATRIÆ NON SIBI VIVENTI;

PRO CARIS AMICIS MORTEM OPPETERE,
NUNQUAM NON PARATO.

DENIQUE

CAROLO NORRIS,

PATRI OPTIMO,

PLURIMUM VENERANDO,

AD ROGUM USQUE COLENDO.

HUNC PRIMUM SUUM,

IN RE MEDICA LABOREM,

IN GRATI ANIMI MONUMENTUM.

SACRUM VOLUIT,

AUCTOR.

PROŒMIUM.

Contemplationes ſuperiorum ſeculorum inanes, ſimul & eorum, qui Medicinam excoluerunt foveruntque, infelix credulitas, multùm fuerunt artis ſalutiferæ progreſſum moratæ.

Medici præjudicatis iisque ſuperſtitioſis plerumque opinionibus obcæcati, ſervili animo, conceptas animadverſiones veterum ſcriptis adjecerunt, & memoriæ prodiderunt ea, quæ dudum ante nota fuerunt & vulgata. Quod ſi minus intellectas ſolvere conarentur quæſtiones, id potius egiſſent, ut vera ſimplicis naturæ indicia ſecuti, varios auxiliorum in curandis morbis effectus obſervarent, (quæ unica eſt in arte Medica bene proficiendi ratio) non tantum foret tempus deperditum, &

* plus

plus operæ fuiſſet in inveſtiganda veritate collocatum, egregie autem ars ſalutaris emendata fuisſet & perfecta. Indignabundus obſerves, quam parum conveniens ſanioris Phyſicæ legibus, quamque Univerſo humano generi exitioſa, ſuperioribus ſeculis fuerat artis Medicæ Theoria. Licet inter omnes conſtat, ante Scholam HIPPOCRATICAM, *artis noſtræ progreſſus, non admodum jam fuiſſe inſignis, omnium tamen primus ille, Veterum Medicorum ſummus, in miſeram videtur incidiſſe opinionem, bonæ juxta & malæ valetudinis indicia, ex certa quadam & peculiari humorum diſpoſitione oriri. — Hæc ſunt ipſius verba: " Hominis autem corpus in ſe ſanguinem, & pituitam, & bilem Duplicem, flavam nempe & nigram continet, ex quibus corporis ipſius natura conſtat; & per hæc dolet, & ſanum eſt. Sanum quidem vel maximè, cum hæc moderatam inter ſe, tum facultate, tum copia, temperationem habuerint; idque præſertim, ſi permixta fuerint. Dolet autem, ubi horum quisquam vel minus, vel copioſius*

pioſius fuerit, aut in corpore ſeparatum, nec reliquis omnibus contemperatum. Cùm enim horum aliquid ſeceſſerit, et per ſe conſtiterit, neceſſe eſt non ſolùm locum ex quo exceſſit morbo tentari, ſed eum etiam in quem nimia copia influxerit, dolore & labore vexari. Nam ſi quid horum ampliùs quam redundantia requirat, extra corpus effluat ipſa dolorem exhibet" (*).

Longa argumentorum ſerie, hanc HIPPOCRATIS *doctrinam infirmare, quid attinet? Mera Hypotheſis, ſine aliqua veritatis umbra adſumpta, videri illis debet, qui in conſtantibus, quibus univerſum animalium regnum ducitur legibus obſervandis, vel exiguam poſuerint operam.*

Sanandi ratio hujusmodi theoriæ conveniens, auxiliis nempe contraria virtute præditis, nullam exigit refutationem.

Varii autem variorum conatus, qui capti opi- nione

(*) *De natura hominis.*

nione ſua, nova finxerunt ſyſtemata exiguum ſortiti fuerunt ſucceſſum.

Liberum itaque & ab omnibus luxurianti ingenio conceptis opinionibus vacuum, RATIO ET EXPERIENTIA, *ducant medicum, atque comitentur: his demum tam fidelibus ducibus, laudabiliter ſimul & cum utilitate, munere ſuo eſt functurus: hoc modo, officiis quæ deo quæque hominibus debet, egregie ſatisfaciet, in bona quidem ſecundæ valetudinis conſervatione, felici, autem, morbi ſanatione, in quibus, ſumma, quibus frui humana vita poſſit, ſita eſſe beneficia, nemo ſapiens negaverit.*

E R R A T A.

Pag. 3 L. 15. *pro* dibiles, *lege* debiles.
— 4 — 18. — laritium, — lateritium.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO ET LONGO.

Morbus de quo ſermo futurus eſt, ab HIPPOCRATE Αρθρίτις nuncupatus, a poſterioribus, ob vagum ſenſum, illo nomine rejecto, haud omni ex parte juſtum adhuc obtinet; ſiquidem Ρεῦμα, ſeu acris humoris fluxionem, unde Morbo Rheumatiſmi nomen datum eſt, natura non agnoſcit.

In hac Diſſertatione de duabus morbi ſpeciebus, Acuto & Longo Rheumatiſmo, agendum putavi; quia licet inter ſe, in curationis ratione, toto cœlo diſtent, tamen, ſi Mala eundem ſaepe hominem adfectantia, quorumque longum, toties Acuto finito, ſubnaſcitur, conjunctim tractarem operæ pretium facturus & uſui conſulturus videbar.

Medici ſunt, quibus Lumbago & Sciatica, a Rheumatismo Longo, alias partes adficiente, propriè differre viſa ſunt. E quibus Cotunnius, qui de adfectu, quem Nervoſam ſciaticam nuncupavit, ſcripſit, acrem Materiam nervos ſciaticos irritantem, pro cauſa morbum continente; "& Medicos, qui ſede & effectibus ejus morbi "perpenſis, eum nervorum ſciaticorum adfectum "eſſe inficias irent, fabricæ humanæ parum peritos, pronunciat". Quam boni viri opinionem, a nullius, deinceps obſervatione confirmatam, me judice, propria morbi, pariter & Curatio refutarunt.

DE-

DEFINITIO.

Rheumatismus A Culleno maximo aptè definitur, "morbus, ab externa & plerumque evidente cauſa; Pyrexia; dolor circa articulos, muſculorum tractum ſequens, genua & reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infeſtans, calore externo auctus" (*).

Ad longum ab Acuto Rheumatismo diſtinguendum, CULLENUS, illum Arthrodynia nominavit, ita tamen, ut ob rationes, ab ipſo relatas, non pro ſeparato morbi genere haberet. Cujus accipe verba: "Poſt Rheumatismum, niſum violentum, vel ſubluxationem; dolores artuum vel muſculorum, ſub motu preſertim, aucti, plus minusve fugaces, calore lecti vel alio externo levati; artus dibiles, rigidi, facile, & ſæpe ſponte frigeſcentes; pyrexia nulla; tumor plerumque nullus".

ACU-

(*) Clariſſ. CULLEN. G. M. G. XXII.

ACUTI RHEUMATISMI HISTORIA.

Rheumatismus Acutus, cum cauſæ vehementer egerunt, & gravem morbum fecerunt, cum frigore & horrore accedere ſolet; quibus, calor, ſitis, inquieta membrorum jactatio, pulſuum cum duritie celeritas ſuccedunt. Mox, ſed non certo ad amuſſim tempore, complura corporis loca, dolor ſæpe ſedem mutans, & majores articulos potiſſimum, ut humeros, genua talos & carpos occupans, invadit. Procedente veſpere, pyrexia exaſperatur, creſcuntque dolores, qui omni motu, calore omni, eoque nocturno lecti, intolerandi, demum evadunt; parteſque laborantes eo ſenſilitatis perveniunt, ut leviſſimus quiſque tactus cruciatui ſit. Haud raro Articuli cum inflammationis aliquantò tument, qui tumor ut aliquando, ita non ſemper ſublevat dolores. Urina quæ primum parum coloris oſtendit, procedente morbo, ſedimentum lateritium dejicit; quod tamen raro, ad ſolvendum morbum pertinet. Sæpe, ſponte ſudor promanat, ſed partibus contentus, viſcidus, raroque leniens dolores. Sanguinem in hoc pariter & aliis phlogiſticis malis detractum, ſeparato glutine, craſſa tenaxque cruſta ſæpe tegit.

Eſt ubi tumores ex effuſo ſero, diverſa loca

occupant, cujus generis, STORCKIUS, (cui hujusmodi tumores haud incogniti erant) eventum memorabilem memorat: "Unicus fuit Æger", inquit, "in quo hæc materies, intra ſcapulas colligebatur & fiebat ibi tumor, qui magnitudine caput virile exceſſit, aperto hoc tumore, novem libræ ſeri flavi viſcidi, effluxerunt". Verum hujusmodi caſus, raro recentioribus Medicis occurrerunt, & Celeberrimus CULLENUS, "poſt longum & felicem medendi uſum, nunquam," inquit, "tumores memorabiles, diuturni & quales adperiendi, ut humor intus educeretur, viderentur, mihi obſervati ſunt."

Symptomatum modo relatorum, incerta diuturnitas eſt, niſi quod non amplius quatuordecim dies, ſine remiſſione manere, plerumque ſolet: poſt quod tempus, pyrexia remittit & dolores qui adhuc permanent, in arctius ſpatium contrahuntur, & paucos articulos adficiunt.

LONGI RHEUMATISMI HISTORIA.

In Longo Rheumatiſmo, nulla pyrexia ſubeſt, nullis in articulis tumor, nec in partibus laborantibus rubedo; artus propter debilitatem, frigere & areſcere, reliquo corpore calorem natu-

turalem, retinente, ſentiuntur; Perſiſtentes tamen dolores, calore ſublevantur, frigore exasperantur; adeoque cœli temperies talia corpora adficit, " ut quaſi viva Barometra ſibi videantur."

Sæpe lumbi ita dolore cruciantur, Nephriticorum more, ut Magnus BOERHAAVIUS, qui huic morbo opportunus erat, eam in lumbis doloris vehementiam, expertus ſit, quam calculi a renibus per Ureteres, in veſicam urinigeram deſcendentis, effectui tribuerat. Hac in parte ſitus morbus, Lumbago dicitur, neque hunc renum ex lumbagine adfectum, ex miro illo, qui inter illos & adfinem locum intercedit conſenſu naſci dubitandum.

Super magnum femoris articulum, ſitus morbus, ſciatica nominatur.

Multa mala turbas comitantia & quandoque perniciem intentantia, Rheumatismum longum excipiunt; hic in articulis Anchyloſis, paſſim in corpore contractiones, & deletus in extremis artubus ſenſus, ſæpe ſuperveniunt, & ſolitis ſuis per reliquam vitam muneribus fungendis, ineptos miſeros reddunt. Quin & Gangræna & Hydrops, quæ artem ſalutiferam ſummam ſuperant, aliquando hunc morbum ſubſequuntur.

DIA-

DIAGNOSIS.

Ex tradita jam Hiſtoria, paucos morbos eſſe quibuscum hic confundi poſſit, patebit: quorum utique uniuscujusque præcipua memorabo, quibus clarior Diagnoſis fiat.

Cum Rheumatismi Acuti longique curatio prorſus diverſa ſit, eos inter ſe diſtinguere ſummi erit momenti. In Acuto Rheumatismo pyrexia eſt; dolores fugaciores, calore exaſperantur, frigore leniuntur, haud raro artus cum tumore inflammantur. In longo morbo, nihil pyrexiæ ſubeſt; dolores ſuo quique loco figuntur, & paucis articulis continentur, calore leniuntur, frigore intenduntur, partesque laborantes, frigere & areſcere ſentiuntur.

Podagram ſemper, nunquam Rheumatismum, nullum cibi deſiderium, indigeſtio, & alia languentis ventriculi ſigna, præcedunt; in hac, dolores majores articulos præ reliquis, ut humeros, genua, talos & carpos adfectant; in illa, minores articuli, maximeque pedum pollices, potiſſimum dolent; cumque jam morbus deſierit, eum paſſus mente, pariter & corpore, quam antea, magis viget; unde Aretæus, λειπῆγε και ολυμπιασι ενικησι ποδαγρος επ ανεσται δρομον.

Po-

Podagra quoſdam præ reliquis adficit, ſæpe hereditaria eſt, circa trigeſimum quintum ætatis annum invadit, maribus præcipue contenta; Rheumatiſmus nunquam hereditarius, omnia hominum genera, utrumque ſexum, omnes præter puerilem, ætates, adgreditur.

Syphilis impuræ veneris proles, adeò omnibus Symptomatibus manifeſta ſit, ut vix fallere, pro quavis Rheumatiſmi queat, quam comitantes dolores, mediis oſſium longorum ſpatiis, carie ſæpe laborantibus, adhærent; Ulcera rodentia aliud alibi corporis, haud raro incidunt; tœda ſimul macies, paulatim, ad miſeram mortem creſcens, univerſum habitum conficit.

Neque Rheumatiſmo, ſcorbutus difficile diſtinguitur, ſiquidem, ex leviſſimo quoque caſu, gingivarum ſtillicidium, cadaveroſus corporis odor, & alia extremæ debilitatis ſigna, ſemper ad diagnoſin ſufficiunt, & ſcorbutum pro certo, minimè Rheumatiſmum, ſubeſſe declarabunt.

Quem a Nephritide quoque dolor per Ureteris regionem quaſi jaculans, teſticuli ejuſdem lateris ſimul retractio, femoris infra ſtupor, crebra meiendi cupiditas, Urina colorata, ſæpe ſanguinea, parca & difficile reddita; item nauſea & maxime poſt cibum, qui faſtidiri ſolet, vomitus, ſatis ſuperque diſtinguunt.

CAU-

CAUSÆ REMOTÆ.

Rheumatiſmus frequentiſſimus apud Britannos morbus, propter perpetuam temperiei mutationem, & magnas cœli viciſſitudines, eſt; rarus in calidioribus regionibus, ubi conſtantiores tempeſtates. Frequentiſſima Cauſa remota, frigus eſt, maxime conjuncto ſimul humore, & a calore exceptum, contraque. A Neutro ſexu, alienus morbus, ut maximè adultos adgreditur, ita præter ineuntem, nulli ætati parcit.

Ut quoslibet Rheumatiſmus adficere ſolet, ſic temperamento ſanguineo prædítos, robuſtos & vigentes, calorisque & frigoris vicibus, per artes ſuas, objectos, potiſſimum exercet. — Hinc, verno & Autumnali tempore maximè ſævit, pauperesque qui cæteris magis, victum ſibi, ſuisque queritando, majoribus noxis objiciuntur, ita adfligit; ut & divitioribus ob luxum & deſidiam noxarum periculum adeuntibus, aliquando non parcat.

Licet Longus Acutus ſæpius ſequatur, alios tamen, ut ætate provectos, imbecillos & prioribus morbis infirmatos, adgreditur.

Idem haud raro ſubitis & vehementibus conatibus muſculos immodicè tendentibus, & eorum

tonum delentibus, exoritur; neque hoc de lumbagine non quoque dicendum, quæ ut plerumque longa, ita acuti morbi quandoque naturæ tamen particeps eſt.

CAUSA PROXIMA.

Cum Clariſſimi CULLENI de hujus morbi Cauſa Proxima, opinio, maximè probabilis videatur, & ſaltem in Scotia, atque apud ipſius diſcipulos, plurimos æmulos ſortita ſit, eam igitur ipſius viri verbis exponam. "Rheuma-
"tiſmi," inquit, "maximè frequens cauſa re-
"mota, nempè, frigus, vaſa articulorum potiſ-
"ſimum, utpotè quæ minus tela cellulari, quam
"media artuum, tegantur, adficere videtur. Idem
"porrò frigus, ut nobis quoque veriſimile eſt, ex-
"tremorum vaſorum, conſtrictionem ſimul, &
"in eorundem tractu, auctum tonum, & Dia-
"theſin phlogiſticam, efficit, undè auctus ſan-
"guinis impetus, ſimul & reſiſtens liberiori ejus
"tranſitui, vis, eoque inflammatio dolorque
"naſcuntur. Quinetiam quæ noſtra quoque
"ſententia eſt, vis reſiſtens, ſimul atque cœ-
"pit, *Vim Naturæ Medicatricem*, ad ſanguinis
"impetum, porrò intentandum, concitat; ad quod
"ſuſtentandum, acceſſio frigoris exoritur, ſpaſ-

"mus

" mus ſubnaſcitur, totoque corpore, pyrexia & " Diatheſis phlogiſtica, prorumpunt." (*)

PROGNOSIS.

Rheumatismus Acutus raro periculoſus, & idonea adverſus ejus principia, cura adhibita, ſolitus ejus exitus, ſalus erit; quod ſi mala curatione in longum morbum, ut ſolet, pertranſire permiſſus eſt, etiam tum tædii, magis quam periculi, negotium erit, nam remedia ritè adminiſtrata, ſæpe ad mentem procedunt, licet, quibusdam in caſibus, morbum radicitus tollere, ſolertiſſimam artem vincat.

ACUTI RHEUMATISMI CURATIO.

Remedia Antiphlogiſtica ſola in Acuto Rheumatismo, ſaluti eſſe, inter omnes Medicos, tandem convenit; quod cum ita ſit, pauci morbi ſunt, in quibus hæc ipſa remedia, cautius ſint tractanda: quæ licet præſentem morbum ſolvunt, alter tamen morbus, Rheumatismus longus, cujus in auxilium, parata ſunt, eorum uſu largiore, ſæpenumero ſubſtituitur.

Quod

(*) Firſt lines of the Practice of Phyſic, Par. CCCCXXXVI.

Quod ad Regimen attinet, quicquid minus alit, & ſtimulat minus, qualis eſt humida ex plantis materia, eòque hordeum decoctum, Πτισανη Hippocratis, maximè convenit. Omnis potio ſpirituoſa aut fermentata, vitanda eſt, cui mitis & diluta ſufficienda. In lecto jacendum & cubiculum refrigerandum, utpotè calor externus, tam pyrexiam quam dolores intendit.

Sanguinis Detractio —— quam alii parcè commendarunt, ab aliis ſine diſcrimine uſurpata, æquo jure damnata eſt. Quæ quidem quoties ſymptomata ſæviunt, ut nunquam omittenda, ita copia detrahenda; ægri ſexu, ætate, habitu, & morbi vehementia, metienda eſt. Ab utrovis brachio, detrahi pari commodo poteſt; unâque jam detractionê peracta, ſi ſymptomata remolleſcere non videbuntur, ſimulque pulſus frequentes, pleni, durique tactu percipientur, altera detractione, opus erit, tertiaque aut amplius, usque eo, dum tumultus omnis levabitur, & omnia morbi remittent.

Cruſta ſanguinis in hoc morbo, graviſſimos viros, & noſtræ artis peritiſſimos decepit, quæ nota falaciſſima eſt, & perniciei ferax cauſa. Certe, ex ſola ea nunquam, & aliis conjunctis notis, caute judicandum; cumque largas & ſæpius repetitas ſanguinis in hoc morbo detractiones,

nes, Rheumatiſmum longum facere periclitari, memori animo tenendum ſit; ideò, ſi præſentem morbi ſtatum, poſt unam vel alteram hujusmodi detractionem, æger paulo facilius tolerare poterit, ad ea quæ ad communem adfectionem, leniore modo, demendum pertinent, confugere præſtabit, quæ licet minus efficacia, tandem tamen, ad ſententiam reſpondebunt.

Alvum Purgantia — eò deſiderantur, quod alvus hic plerumque durior eſt; qui ſolus eorum uſus non eſt, nam, præterquam quod onere ſuo totum corpus neceſſario ſtimulo libeant, Diatheſin Phlogiſticam minuendo, quoque proſunt, qua poteſtate, ſi minus ſanguinis miſſione valent, relato tamen ejus incommodo, prorſus carent.

Alvum purgantium, præſtantiſſima ea ſunt; quæ leniter, ſimul ſatisque tamen efficaciter agunt, nec ſtimulo, omni cura cavendo, nocent.

Sudorem Moventia — tam ad communem corpori, quam partibus contentum adfectum ſublevandum, ſæpe in uſum vocata ſunt, ad quod auxilii genus, poſtquam relatis remediis, morbi vis refrenata eſt, haud dubiè decurrendum; eoque magis, quod haud ita longo tempore, ſalus ea reducta eſt. Cui quidem, nullis prius adhibitis auxiliis, ubi mitior morbi

forma eſt, protinùs fidendum. Quin & leniora juſto ſudore remedia, quandoque ſufficiunt; cujusmodi ſunt, Spiritus Mindereri, Julapium Diaphoreticum, & ſimilia, quae ſunt ſæpius iterata. Verùm quia horum opus aliquantum anceps eſt, ideo, Pulvis Doverianus, cujus a ſtimulante proprietate, poſt debitas detractiones, nihil metuendum eſt, omnibus ſudoris ciendi modis, longè anteponendus. Sudore finito, frigus, cujus noxæ, maximè corpus patet, ſumma cura cavendum.

Multis Nitrum laudibus, maxime, a Broculsbeio, qui, "ſæpe", inquit, "decem ejus in "dies drachmas dedi, laborantibus, potionis "attenuantis, largum uſum ſimul commendans; "undè triduo aut quatuor fere dierum ſpatio, "ſummus fructus ſecutus, profuſoque ſudore, "ſæpe ſalus integra" (*).

Diu, Gummi Guaiacum, maxime, poſt editos in lucem Dawſonii M. D., de Rheumatiſmo & Podagra caſus, ſecundo rumore fuit. In iis caſibus, Medicamentum, elegantiſſima & Uſitatiſſima forma, ſcilicet, Collegii Londinenſis, Tincturæ Guaiacinæ Volatilis, uſurpatum eſt, pro-

(*) Camp Diſeaſes.

proſperisque curationibus commendatum, usque adeò, ut hujus mali, perpetuum certumque videatur auxilium. Cujus utique doſis, multo ſolitam ſuperabat, utpotè cum ter ſingulis diebus Cochliare quandoque datum ſit, quam illo copiam, ſanguine prius ſi opus foret dempto, non ſolum impunè, ſed ſummo cum fructu adminiſtrandum arbitrabatur. Ipſum ſuis audi verbis: All I shall ſay at preſent is, that if we muſt take the diſorder out of nature's hands, [too general a practice] I should ſooner do it by this, than by any other Medicine —— Future experiments can alone aſcertain, how early in the Diſeaſe, and with what certain advantage it may be ſo given.

Sæpenumerò, Elixir Guaiacinum volatile, Collegii Edinenſis, quod non multùm ab illa tinctura differt, a Duncano Celeberrimo Medico, in Diſpenſario Publico, ſatis proſperè, datum vidi, ſed ita, ut laudes alterius formæ, a Dawſonio celebratas, mereri non videretur.

Ad partium tumorem & inflammationem tollendam Medicamenta recta illis admota, optimè reſpondent, neque idem debilitatis augendæ, quod communia remedia, periculum minitantur. Quem fructum, hirudines admotæ aut Cucurbitulæ conciſa cute impoſitæ, certiſſime promittunt; quarum

rum illas, Joannes Pringle Eques, ſummopere profuiſſe teſtatur.

Ad dolores locis contentos, & quaſi fixos componendos, qui relatis remediis reſtiterant, veſicatoria laborantibus locis impoſita, uſui fuerunt. Eodemque conſilio, Rubefacientia, ut Linimentum volatile, Balſamum Anodynum, Oleum Camphoratum, ſpiritus vini Camphoratus, Æther vitriolicus, laudibus elata ſunt.

Fomenta ubi cum tumore partes inflammantur, ut igni oleum addunt; ita, ſub diverſis rebus, ſæpe multum adverſus dolores levamen attulerunt: "*nam ſi*", ut Celſus ait, "*tumor nullus eſt*, "*calidis fomentis opus eſt.*"

RHEUMATISMI LONGI CURATIO.

Rheumatismi longi curatio, cauſæ proximæ, quæ partium laborantium, atonia ſeu debilitas, manifeſta eſt, accomodari debet, quam utriusque rei rationem, ſymptomata comitantia, & remediorum poſtea utendorum opus, ſatis declarant.

Hoc in morbo, ſanguinis detractio, alvique etiam purgatio, cum cura fugienda, ut debilitatem ab utraque factam, adauctura. Quam ob cauſam, iis auxiliis, quæ tonum adfectis, & vigorem

gorem locis dant, curatio perficienda eſt; quod ſi, quod ſæpe accidit, ad acuti Rheumatiſmi naturam, morbus accedit, his in caſibus, adminiſtratione Antiphlogiſtica, quantum præſens habitus aliaque requirant ingrediendum.

Medicamenta extrinſecus admota, de quibus ſupra relatum (P. nov.) hoc morbi tempore, proſperè uſurpantur; Unum cujus præcipuæ partes, *Oleum terebinthinæ* & *Camphoræ* ſunt, aliquibus lumbaginis caſibus, Homius illuſtriſſimus Profeſſor Edinburgenus feliciter uſurpavit. Aliquid Duncanus Medicus, in *oleo vitrioli axungia porcinæ* miſto pro unguento uſurpato & ægris locis infricto, commodi tempore irritabilitatis, id eſt, "cum "dolores interdiu non moleſti noctu calore lecti "redintegrantur, animadvertit."

Gummi Guaiacum variis formis, multi, in hac Rheumatiſmi ſpecie, commendarunt; quod tamen, in ſpiritu volatili, ut in *Tinctura* vel *Elixire Guaiaco volatili*, ſolutum, reliquis omnibus ejus formis, forſitan, eo præſtat, quod in his, partis reſinoſæ, e qua vis medicamenti pendit, plus diſſolvitur; ſtimulanſque & diaphoretica utriusque partis ſic conjunctæ virtus, univerſum corpus, ſimul & partes laborantes agendo, tonum & vigorem reſtituere promittit. Hoc opus

diluentibus ſuſtentandum; partium dolentium calor lanea veſte fovendus.

Pulvis Doverianus ita large datum, ut ad ſudorem procedat, ob proſperum, etiam cum omnia alia auxilia fruſtra fuiſſent, uſum, jure laudatus eſt.

Sæpe quoque *ſales volatiles Alkalines*, & *Eſſentialia Balſamorum olea*, quale Terebinthinæ eſt, uſurpantur, & ſummopere prodeſſe reperta ſunt.

Rhododendron Chryſanthum in Rheumatiſmi curationem, Siberii primi intulerunt; quo enim morbo, ſi auctoritate ſtandum eſſet, perpetuum auxilium videretur; quam ejus virtutem, experimenta recentiora, minime tamen firmant; ſed plus ſemel a Duncano Medico in Diſpenſario Edinenſi uſurpatum reſpondere, Elixire Guaiacino volatili, fruſtra ante adhibito, videre mihi contigit.

Mercurius etiam in uſum hic vocatus, Fothergillius Medicus "quidam", inquit, "XL annos natus, Lumbagine male curata, malo cibi deſiderio, ubique corporis macie, robore fracto, æſtuque febrili perpetuo, laborans, domique detentus, aſſumptis quotidie ſenis calomelanis granis quinque, XL dierum circiter ſpatio ſalutem conſequutus eſt" (*).

His

(*) London Medical Obſervations and Enquiries.

Sic opiferum Mercurii opus, ad ſtimulatricem ſimul & exeretiones augentem proprietatem, forſan, referendum eſt; ita tamen, ut efficax hæc virtus, nondum, experimentis ſatis confirmatum ſit.

Poſtquam partes laborantes jam inſignius riguerunt, artuumque motus pariter & ſenſus multum decreverunt ad ſtimulantia tandem decurrendum eſſe, cauſæ proximæ natura docet, eoque magis, quod in Paralyſi, cui præſens morbi ſtatus, adeo adfinis eſt, & inde Paralyſis Rheumatica dictus eſt, plurimum valent.

Cum compertum ſit, in Paralyſeos curatione, *Camphoram* præſtare uſus ſatis egregios, in hujus morbi curatione, haud inutiliter eam adhiberi poſſe, ſatis videtur manifeſtum: licet haud diffitendum ſit, ejus virtutem hac in parte, nondum bonis experimentis, ita eſſe perſpectam, ut ulteriore non opus ſit probatione.

Ut *Opium*, cum morbus cum externa inflammatione & ſymptomatibus plethoricis eſt, nocet, ita, in longo Rheumatismo, ubi tutum eſt, dolorem componendo, ſomnum conciliando, rigentes fibras Muſculares reſolvendo hisque ſolitum cum vigore tonum reddendo, uſui eſſe promittit.

Mezereon & *Cicuta* quæ aliàs nuper alicujus

virtutis ſpeciem præſe tulerunt, in hoc tamen morbo, uſui eſſe, nondum demonſtrata ſunt.

Electricitas quæ tam in hoc, quam in plurimis aliis morbis ſæpe feliciter nuper eſt adhibita, huic propoſito, ideò convenire videtur, quod ad ſanguinem percitandum, perſpirationem promovendam, ſuppreſſasque alias excretiones liberandas, haud ambiguè valet. Cujusmodi adminiſtrandi ratio optima eſt, impulſus cum ſcintillis a partibus laborantibus elicitis, corpore prius inſulato, conjungere.

Fricatio quæ grato ſenſu nervoſum genus excitat, ad earum in quibus hoc maximè languet, partium vigorem reſtituendam imprimis accommodata videtur.

Ad dolores partibus contentos componendos, impoſita *veſicatoria*, fructum promittunt; quæ in pervicaciore mali ſtatu, in *fonticulos*, per unguentum epiſpaſticum verti deinde poſſunt.

Balneum Calidum tum totius corporis, tum partibus contentum, in præſentibus curationibus adhibitur; quod Londini ubi uſus ejus plurimum inſiſtitur inſignia bona præſtare memoratur.

Ut quædam quibus aqua quandoque permiſcetur, ita fieri poteſt, ut ejus rei Auctorum nempe Empericorum, qui cuique aliis immedicabili morbi,

morbi, in ſe negotium ſuſcipiunt, vanitas inſertiorem fidem faciat.

Aqua Bathenſis, *Chapellenſis*, *Buxtonia*, tam potui data, tam ad lavandum adhibita, aliis fruſtra auxiliis tentatis, & morbo pro inſanabili jam habito, plurimis experimentis explorata, multum profuit.

Ad incitationem toto corpore reſtituendam, *frigida lavatio*, *Cortex Peruvianus*, *lenis* in puro aere *exercitatio*, conducunt; & ut JOANNES PRINGLE Eques teſtatur, in *equo geſtatio*, potiſſimum confert.

Cibus alens, levis, & concoctu facilis, convenit, vinum maximè, ſi multum attenuatus homo eſt, & illius uſui prius adſuetus.

Hoc finito quà potui opuſculo, Profeſſoribus Glaſcuenſibus & Edinenſibus, ob magna ex eorum prælectionibus accepta commoda, & imprimis THOMÆ YOUNG, nuper rei apud Edinenſes, Obſtetriciæ Profeſſoris, in arte pariter & vitæ officiis fungendis, præclaræ memoriæ, habe-

bere & agere gratias, ac beneficiorum memoris animi, munus obire liceat. —

Maxima autem cum voluptate, hanc amplector occaſionem, Generalis quod Londini eſt diſpenſatorii, Medicis, ſummas quas debeo perſolvendi gratias, pro inſigni quam ex eorum præceptis percepi utilitate, in multiplici, quam Cœnobium iſtud obfert praxin Medicam exercendi, opportunitate; præcipue tamen, excellentis ingenii atque doctrinæ viro, JACOBO SIMS, M. D., cujus cum cæteras plane ſingulares animi dotes, tum egregia in arte Medica laudabiliter tractanda merita, omnes quotquot ejus familiaritate uſi ſunt, optime norunt.

Illuſtre iſtud ſeminarium, cujusvis ſcientiæ ſedes, & alma inſignium virorum mater atque altrix, jam beatorum, in ſeram usque poſteritatem, fama, honore & gloria maneat Ornatum!

F I N I S.